

Disputationum Anatomicarum

QVARTA

DE PARTIBVS
HVMANI CORPORIS
DISSIMILARIBVS, EARVM-
què differentijs in genere

Ex sententiâ

*Optimorum Philosophorum, Anatomicorum
& Medicorum:*

Ad quam

D. O. M. A.

Præside

IOANNE SIGFRIDO PHILOS.
& Medicinæ Doctore, & in illustri Acad.

IVLIA Professore, Anatomico &
Botanico,

Respondebit Publicè

die 16. April. hor. 6.
in auditorio maiori

IOANNES CRVGERS GARDALEGIENSIS
Philos. & Med. stud.

HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCVII.

260

20





REVERENDO, AM-
PLISSIMO AC DOCTISSIMO
VIRO, M. ANDRAE POVCHENIO Garda-
legiensi, celeberrimi & nobilissimi Emporij, Lubecæ Su-
perattendenti vigilantissimo, eiusdemque filio A N-
DRAE POVCHENIO, S. S. Theol. Doct. cla-
riff. Academiae Regiomontanae Borufforum Pro-
fessori pub. & Ecclesiae DEI ibidem
Pastori primario,

NEC NON
AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO
VIRO, DN. HENRICO LAURENTIO INCLVTAE
*Reipub. Gardalegiensis Cos. fidelis. consanguineis &
patronis suis unice suspiciendis,*

Dedicat & offert,

Ioannes Crugerus Gardalegiensis
Respondens.



THESES
DE PARTIBVS HVMANI COR-
PORIS DISSIMILARIBVS EA-
rumquè differentijs in
genere.

Thes. I.



VM omne simplex prius sit composito; in superioribus verò disputationibus e-
numeratæ & explicatæ sint partes huma-
ni corporis simplices, quæ vulgò simila-
res, à Galeno *a* propria hominis Elemen-
ta dicuntur; ordo requirit, vt in sequen-
tibus, de compositis, quas dissimilares, quarum gratia *b*
illæ habentur, & ex quibus hæ componuntur *c*, appel-
lant, tractatio instituat.

a Gal. 1. elem. 1. 2. elem. 1. d. facult. nat. 7. d. dogmat. Plat. & Hipp.

b Arist. 2 part. animal. 1. 1. gen. 1. Gal. 2. placit. 4. 1. d. Anat. vior. d. nat. hum. comment. 1. d. dogmat. Plat. & Hipp. l. 8 c. 6.

2. Partes dissimilares, varias apud autores habent ap-
pellationes. Hippocrates *σύνθετα μόρια* appellat *a*, quod
particulæ, ex quibus componuntur, naturalem habeant
continuitatem.

a in lib. d. art Gal. d. inequal. intemp. item d. diff. morb. 4. c.

3. Aristoteli *a* & Galeno *b* dicuntur *ἀνομοιομερή*, dissi-
milares; *δεύτερα* secundæ, quod ex primis componuntur *c*:
ἑτερογενῆ, diuersi generis *d*: *σύνθετα σώματα*, composita cor-
pora *e*: *πρὸς αἰσθησιν σύνθετα*, ad sensum composita *f*: *ὄργανα*
κὰ, instrumentariæ, officiales *g*: *ὄργανα* instrumenta *h*: &
membra *i*.

a Arist. 1. hist. animal. 1. 2. d. part. animal. 1. b Gal. d. diff. morb. 4.

c Gal. d. inequal. intemp. 2. d. diff. morb. 4. 2. elem. 1. d Arist. 2.

A 2 part.



part. 1. e 8. plac. 4. f d. diff. morb. 4. d. dogmat. Plat. & Hipp. 6.

g 1. clem. 9. 8. pl. 4. d. diff. morb. 3. d. art. mod. 4. And. Laur. pag. 14.

b Gal. 1. elem. 9. i Arist. 1. d. hist. animal. 1 Gal d. Anat. viuor.

4. Definitiones quoq; plures in autoribus traduntur. Aristoteli *a* partes compositæ sunt, quæ aptæ sunt secari in partes dissimiles, non in similes; vt manus non secatur in manus. Ideoq; & partes dissimilares appellantur.

a Arist. 1. d. hist. animal. 1. Gal. d. anat. viuor. And. Laur. pag. 14. c. 2.

5. Galenus *a* & Auicenna *b* hanc ponunt definitionem: Compositæ partes sunt, quarum quamcunq; partem animalis sumseris, toti communicans non erit, nomine ac definitione, vt manus & facies.

a Gal. in Anat. viuor. b Auicen. 1. fen. tract. 5. cap. 1.

6. Recentiores ex Aristotele & Galeno sic definiunt: Dissimilares seu organica pars est, quæ ex similaribus *a* inter se iunctis *b* exurgit & componitur, & in quas rursus resoluitur, & ad sensum diuiditur, vt caput compositum est ex ossibus, cartilaginibus, ligamentis, venis, arterijs, neruis, membranis, carne, cute, quæ omnes similes sunt & in quas iterum dissectione resoluitur.

a Arist. 1. d. hist. animal. 1. 2. part. 1. 1. d. generat. 18. b Gal. 1. elem. 15. d. diff. morb. 3. & 4. c.

7. Alij ex iisdem hanc tradunt, quæ est perfectior: Pars dissimilares est quæ ex similaribus est composita, & ad edendas actiones, decenti figura prædita, iustâ magnitudine conformata, conuenienti situ collocata & numero non variat.

a Arist. 1. hist. animal. 1. 2. part. 1. Gal. d. diff. morb. 3. & 4. c.

8. Atqui non omnes partes organicae seu instrumenta, ex omnibus partibus similaribus concurrentibus, sunt conflata; sed quædam ex singulis vt manus, pes, caput *a*: quædam ex pluribus vt viscera nonnulla.

a Arist. 2. d. part. animal 1. cap.

9. Hinc

262
9. Hinc quatuor instrumentorum genera seu gradus, à Galeno *a* constituuntur: quædam enim sunt primi generis: quædam secundi: quædam tertij: quædam quarti *b*.

a Gal 1. d. vsu part. 8. d. diff. morb. 4. b Gal 8. placit. 6. & 7.

10. Primi generis organa seu instrumenta appellat simplicissima, quæcunq; ex similaribus partibus coalescentibus *a*, vnius operationis gratia sunt constituta, vt musculus, cuius actio est motus. Huc pertinent Vena, arteria, nervus, quæ etiam singula actionem edunt, quæ est sanguinis, spiritus vitalis & animalis in vniuersum corpus distributio.

a Gal. d. diff. morbor. 4. And. Laur. pag. 15. Gal. in Isag. d. med. art. constit. 4. l. d. inæq. intemp.

11. Secundi ordinis instrumenta vocantur, quæcunq; ex primis rursus iunctis componuntur & si vni totius instrumenti actui quàm maximè inseruiunt, vt digiti &c.

12. Tertij generis sunt, quæ ex secundis fiunt & coagmentantur, vt pes, brachium, manus.

13. Instrumenta quarti ordinis appellantur, quæ ex tertijs fiunt, vt brachium seu tota manus, crus seu totus pes, ex quibus *a* demum cum alijs totum corpus componitur.

a Gal 8. placit. 6. & 7. Item 2. elem. c. 15. d. diff. morb. 4.

14. Sed & in vnoquoq; instrumento, quatuor partium differentiarum spectandarum occurrunt: prima earum est, per quas fit actio *a*, qualis est in oculo humor crystallinus, qui præcipuum visus est instrumentum; Secunda eas continet, sine quibus actio fieri non potest, vt in oculo, reliqui humores & nervus opticus *b*: Tertia eas comprehendit, per quas actio fit meliùs & expeditiùs, vt tunica & musculi oculorum *c*. Quarta ijs tribuitur, quæ ad harum omnium salutem & conseruationem faciunt, & per quas actio conseruatur, vt palpebræ & orbita interior.

A 3

a Gal.



a Gal. c. 2. l. 7. meth. med. c. 3. l. 6. d. loc. affect. & 2. d. opt. corp. constit.

b Gal. 1. d. usu part. 8. cap. c. And. Laur. pag. 15. cap. 2.

15. Porro constituitur pars dissimilari non sui ipsius gratia *a*, sed officij, hoc est, ut functioni alicui in corpore præsit, seu ut perfectam edat actionem. Nam per dissimilari, ut scribit Aristoteles *b*, administrantur actiones, & compositis (ut Galenus *c* loquitur) partibus, actio commissa est. Sic oculus est pars organica, seu instrumentum, cuius actio est visus; manus instrumentum apprehensionis, crura itionis.

a Fernel. 2. phys. 1. Gal. 4. d. usu part. c. 12. 1. d. meth. med. 9. b Arist.

2 part. 1. 1. generat. 18. c Gal. 4. d. vs. part.

16. At verò ut actionem probè obire & commodè præstare possit, integritas *a* & bona conformatio *b* in eo requiruntur.

a Arist. 1. animal. hist. 1. Gal. d. diff. morb. 4. b Gal. d. opt. corp. constit. 4. And. Laurent. pag. 34.

17. In hoc namq; partium genere, ut Aristoteles *a* loquitur, existunt, quæ non modo sunt partes; verùm etiam membra appellantur, videlicet quæ ipsæ cum totius integritate describantur, habeant tamè intra se partes diuersas, suiq; generis opificia, ut caput, ut manus, ut pes &c. quippe quæ & ipsæ partes sunt totæ, & ex diuersis partibus constant, ut manus ex carne, ossibus, nervis, arterijs, venis, ligamentis &c.

a Arist. 1. d. hist. animal. cap. 1.

18. Si igitur pars dissimilari seu organum perfectum & absolutum fuerit, & tale iuxta quantitatem & qualitatem permanserit, actiones suæ substantiæ proprias obit, & sine aliarum auxilio perficit. Quamuis & ob substantiæ continuum de fluxum *a* & alterationem, aliarum utiq; auxilio opus habet, cum ut euacuatum expleatur, tum ut alteratum corrigatur.

a Gal. d. format. foetus c. 15.

19. Con-

19. Conformatio, vt ex definitione patet, in figura, magnitudine, situ & numero consistit, quæ organi naturam perficiunt, & in compositis magis elucent, quàm in similibus.

Gal. d. opt. corp. constit. 4. d. different. morb. 4. And. Laur. pag. 15. & 34.

20. Quamobrem si apta figurâ, quæ sua cuiusq; est, pars non sit insignita, instrumenti ratio perimitur *a*. Nihil enim quod rude & informe existit, instrumenti nomine dignum est; sed quod formatum & instructum corpus est, ad opus, id idoneum est instrumentum.

a Fernel. 2. physicorum c. 1. Piccolh. pag. 36.

21. Sic pars, quæ iustam non habet magnitudinem, sed vel maior vel minor est, quàm vsus & necessitas exigebant: quæ conuenienti loco non est collocata, & in numero variat, ita vt vel deficiat prorsus, vel superabundet aliquid, vitiosa habetur, & probè actionem obire seu officio fungi non valet.

22. Cæterùm in qualibet parte organica seu instrumento ex similibus composito *a*, proprium quoddam est, cui nihil aliud, in toto corpore animalis, simile existit aut reperitur. Illud autem est aut caro seu substantia, quæ præter alias omnes partes præcipuam quandam obtinet proprietatem, à qua propria quædam functio dependet & consequitur. Reliquæ verò, in subsidium veniunt & conspirant *b* seu ad vsum subministrandum *c* à naturâ creatæ sunt.

a Gal. 6. placit. 14. 6. d. vs. part. 14. 1. d. vs. part. 8. 4. vs. part. 12. b 1. de vs. part. 8. d. diff. morb. 6. d. format. fœt. 15. 2. sem. 34.

23. Porrò differentiarum partium dissimilarium seu instrumentorum, sumuntur ab essentiâ & accidentibus.

Gal. 1. V. p. Laur. fol. 688.

24. Quod ad substantiam attinet; aliæ sunt carnosæ, vt Cor, pulmo, epar; aliæ membranosæ, vt ventriculus, vesica fel-



ca fellis, vesica urinaria; aliæ glandulosæ, quæ glandularum formam referunt, vt cerebrum, testes; aliæ ex alijs constant partibus inuicem iunctis, à quarum copia & dominio denominantur. Deinde quædam sunt compactæ & duræ, vt Cor, Epar, Renes; quædam raræ, fungosæ, ac molles, vt pulmo, lien; aliæ lentæ & tenaces vt membranæ seu tunicæ.

25. Accidentia sunt; magnitudo, numerus, temperies, color, figura, compositio, actio, situs &c.

26. A magnitudine; Aliæ sunt maximæ ^a, vt thorax, brachium, crus; aliæ minores, vt pulmo, epar, ventriculus, manus, pes; aliæ minimæ vt oculus, auris, nasus, articulus, digitus &c.

^a Gal. 1. d. usu part. c. 1. & 8. Inæq. int. 2.

27. A numero: quædam sunt singulares tantū, vt Cor, Epar, ventriculus, vesica; quædam geminæ, vt cerebrū, oculi, aures, testes, renes, manus, pedes; aliæ plures vt digiti.

28. A forma seu temperie, quæ, pro varietate actionum, varia est; quædam sunt temperatæ; quædam intemperatæ, & hæ ab excessu primarum qualitatum vel calidæ sunt, vt Cor; quædam frigidæ, vt cerebrum; quædam humidæ; quædam siccæ &c.

29. A colore: Quædam sunt albæ, quæ spermaticæ sunt & membranæ, vt meninges cerebri, pleura, peritonæum, ventriculus, vesica, vterus; quædam rubræ, quæ sanguinæ & carnosæ sunt, vt Cor, Epar, musculus.

30. A figura: Aliæ rotundæ & amplæ, vt cerebrum, diaphragma; aliæ rotundæ & oblongæ, vt ventriculus, folliculus fellis; aliæ pyramidales, vt cor; aliæ longæ, vt intestina, brachia, crura; aliæ breues, vt digiti; aliæ integræ & continuæ, vt Cor, Epar; aliæ dissectæ vt cerebrum,

brum, pulmones &c. aliæ aliam habent figuram, eamq; propriam vel adscititiam, vt Epar, pulmo &c.

31. A superficie: quædam leues sunt & æquales, vt ventriculus, intestina; quædam asperæ & inæquales, vt Cor in basi, & Epar in sima parte.

32. Quædam cavitates habent; quædam meatus obtinent: quæ cavitates habent, *μόρια κοίλα* Hippocrati dicuntur siue sint ventres rotundi, siue vasa oblonga: quæ meatus habent, vel recipiunt aliquid, vel continent, vt folliculus fellis, vesica &c.

33. Compositione: quædam primo naturæ instituto, ex vulgatis partibus similaribus, vt offe, cartilagine, ligamenti, venis, arterijs, neruis &c. conflatae sunt, vt caput, manus, pes, oculus; quæ si resoluantur in suas partes similes, nihil remanet; sed in nihilum rediguntur; Quædam non ex primo naturæ instituto; sed secundariò dissimilares fiunt & euadunt, propter neruorum, arteriarum, venarum, insertionem membranarum ac aliarum partium implexum, quales sunt cerebrum, cor, pulmo, ventriculus, vterus, à quibus, si remoueantur, venæ, arteriæ, nerui, membranæ, aliquid remanet *a*, quod substantiam partis per se constituit.

a Gal. l. 6. d. dogmat. Plat. & Hipp. l. 1. c. 6. d. facult. natural.

34. Sic aliæ magis; aliæ minus sunt compositæ *a*; vnde & illæ magis; hæ minus instrumenta vocantur, vt digitus est minus instrumentum, quàm manus, hæc minus quàm brachium, hoc deniq; minus, quàm vniuersum corpus *b*, quod totius animæ est instrumentum, quemadmodum partes facultatum.

a Pic. fol. 35. b Fern. 2. phys. c. 1.

35. Vsu: quædam alias partes continent, vt caput, thorax, venter; quædam continentur, vt in capite, cerebrum; in thorace, cor, pulmones; in ventre infimo, ventriculus,

B

inte-

intestina, Epar, lien, renes, vterus; in mammis, lac; in
ventriculo, chylus; in corde & venis, sanguis.

36. Ab officijs seu actionibus animæ, quæ desumuntur
partium differentia, duplices sunt; quæ considerantur vel
respectu administrationis vel facultatis.

37. Respectu administrationis duplices sunt: Quæ-
dam principes *a*, vt cerebrum, cor *b*, Epar, testes *c*; quæ-
dam minus *d* principes, vt ventriculus, lien, renes, pulmo.

a Gal. d. v. s. part. cap. 7. d. anat. vi. uor. 3. Auic. fen. 1. doct. 5. c. 1. Gal. c. 10.
6. d. dogmat. Plat. & Hipp. Item c. vlt. 7. meth. med. *b* Gal. l. d. for-
mat. foet. c. 5. *c* in art. par. 9. 1. d. sem. And. Laur. pag. 28. quæst. 2.
d Gal. 5. cap. lib. d. format. foet.

38. Facultates animæ triplices sunt: animales, & hæ
vel sensitiuæ vel motiuæ vel principes, vitales & natura-
les.

39. A facultate animæ sensitiuæ; partes quædam sen-
sum habent exquisitum, quæ magnos & multos recipi-
unt nervos, per quos vis sentiens adfertur; quædam ob-
tusum, quæ paucos & exiguos nervos obtinent; quædam
nullum, quæ nervis prorsus carent.

40. A motiua facultate; quædam semper mouentur;
quædam aut nullum habent motum, aut paruum; quædam
deniq; semper quietæ sunt & immobiles.

41. Per vtramq; facultatem; quædam sensu & motu
præditæ sunt; quædam solo sensu pollent; quædam mo-
tum habent, sed non sensum. Omnes autem id à nervis
habent.

42. A facultate vitali: aliæ à corde copiosum; aliæ
paucum spiritum recipiunt. Illæ magnas; hæ exiguas ar-
terias participant.

43. Respectu facultatis naturalis: aliæ validius; aliæ
debilius attrahunt, retinent, concoquunt, expellunt, pro
validitate fibrarum aut caloris.

44. Quæ-

44. Quædam etiam partes vel inter se communicant seu consentiunt; vel dissentiunt. Consentiant autem inter se tum propter connexum, tum propter situm.

45. Connexus fit, vel ratione substantiæ contiguæ, ob quam femur cum tibia consentit; vel ratione vasorum.

46. Connexus ratione vasorum, aut est vniuersalis totius corporis *συνωδός a*. Nam Hippocrate *b* teste *ἐν ὅμοια μοία, ἐν ἁπλοῖα μοία, ἐν ἁπλοῖα πάντα*; aut particularis, propter vasorum communionem *c*, vt uterus cum mammis per venas ascendentes & descendentes *d*, ventriculus cum cerebro *e* per neruos, renes cum vesica per vretres.

a Gal. 1. d. vsu part. corp. hum. c. 8. b l. d. gland. & comment. d. alim.

c Gal. in lib. 3. Hipp. d. morb. vulg. comment. 1. d. And. Laur. pag. 272.

& 37. e And. Laur. pag. 141.

47. Ratione situs communicant & consentiunt, quæ *ἴσιν* seu rectitudinem inter se acceperunt; vel secundum rectam lineam, quæ in recto partium progressu cernitur & secundum rectum ductum fibrarum; vel secundum omnes tres dimensiones. Secundum longum autem consentiunt partes superiores & inferiores; secundum latum, dextræ cum sinistris; secundum profundum, internæ cum externis.

48. Dissentiunt quæ nullam inter se habent substantiæ similitudinem, nullum connexum, nullam vasorum communionem aut insertionem.

49. Differunt etiam Labore & Consuetudine. Labore: quædam ob robur facilius, vt manus, pes; quædam difficilius laborem ferunt & patiuntur, vt caput, venter.

50. Consuetudine. Quædam assuetæ sunt, vt facile ob imbecillitatem *a* excrementa suscipiant, vt emunctoria seu glandulæ post aures, sub axillis, in inguinibus. Quædam assuetæ sunt, vel ad colorem tolerandum, quæ semper



sunt tectæ; aut naturâ, vt partes interiores, cerebrum, Epar, ventriculus; aut arte, vt caput, venter: vel ad frigus perpetiendum, vt partes exteriores, nudæ & extremæ.

a Gal. 13. meth. med. 4. Item in lib. d. nat. hum. com. 2.

51. Situ: quædam sunt superiores, vt caput; quædam inferiores, vt pedes; quædam mediæ, vt thorax, venter. Sic aliæ sunt dextræ; aliæ sinistra; aliæ anteriores; aliæ posteriores; aliæ laterales.

Arist. 2. d. hist. animal. 1. 3. part. 5. Gal. 1. d. vs. part. 17. c.

52. Sunt & aliæ exteriores; aliæ interiores. Exteriores vocantur, quæ in aperto sunt, & ab omnibus conspiciuntur. Interiores, quæ abditæ sunt, & in cavitatibus reconditæ hærent, vt viscera. Nam natura partes præcipuas in profundo; minus verò præcipuas in superficie collocavit *a*.

a Galea prim. d. vsu parti. 17. cap.

53. Exteriores vel in capite; vel in trunco, hoc est, thorace & infimo ventre; vel artubus, id est manibus & pedibus consistunt & apparent.

54. De his primus Aristoteles docuisse & simul conscripsisse creditus est; temporis autem progressu, medicis quoq; ipsis posterioribus de his tractare necessarium visum est, ne manu allata quamcunq; partem ostenderent; sed ex apprehensione sufficientem earum notitiam haberent. *Gal. in Isag. c. 9.*

55. Verum enim verò cum exteriorum partium, quæ verbis vniuscuiusque naturalem situm, ordinem, vsum, quem animali præbet, propriamque appellationem percenset, per abusum seu improprie; interiorum verò, quæ cum sermone fit, explicatio, proprie Anatome dicatur; superfluum esse arbitramur, illas recensere & fusius enarrare; consultò igitur eas nunc prætermittimus.

Gal. Isag. cap. 10.

56. Atq;

266
56. Atque hæc, de partibus dissimilaribus, nunc dicta
sufficiant: plura, qui petit, legat Aristotelem, Galenum,
& alios, quorum in superioribus facta est mentio.

COROLLARIA.

I.

AN ad cognitionem perfectam Anatomies
comparandam sola lectio librorum suffi-
ciat? Neg.

2. An partes dextræ calidiores & sicciore, ac
proinde agiliores & validiores sinistris? Aff.

ENCOMIVM STVDII ANATO- TOMICI.

Ex Galeno, 3. de v. p. c. 10.

AT verò si de huiusmodi pecudibus, plura verba fecero,
melioris mentis homines meritò fortè mihi succenseant,
dicantq; me polluere SACRVM SERMONEM, quem
ego CONDITORIS nostri verum HYMNVM
compono: existimoq; in eo veram esse PIETATEM, non taurorum
exatibus, ei plurimas sacrificari, & castias, aliaq; sexcenta odora-
menta ac unguenta suffumigari: sed si nouerim ipse primus, deinde
& alijs exposuerim, quanam sit ipsius SAPIENTIA quæ VIR-
TVS, quæ BONITAS, Quod enim cultu conueniente exornare
omnia, nihilq; suis beneficijs priuatum esse voluerit, id perfectissimæ
BONITATIS specimen esse statuo: & hac quidem ratione eius
BONITAS hymnis nobis est celebranda: hoc autem omne inue-
nisse, quo pacto omnia potissimum adornarentur, summæ SAPIEN-
TIAE est; effecisse autem omnia, quæ voluit, VIRTVTIS est
inuiete ac insuperabilis.

B 3

EPI-

AD IOANNEM SIGFRIDVM ANA-
TOMICVM ET BOTANICVM

EPIGRAMMA.



Orporis humani compaginis esse peritum,
Noscere ad vnguem eius vimque probè in-
genitam;
Non hic mortalis, verum ipsa puerpera rerum
est,

Qui tenet, & quæ vnà tale aminauit opus.
Hoc quia SIGFRIDO contingit vt omnia noscat,
De cunctis tam acri & differat ingenio;
Quid dubitamus adhuc genitorem hunc terrigenarum,
Aut verè platem hunc alterum in orbe DEVM?
Id cum relligio vetat at nos credere, tantùm
Vnum hominum ac Diuùm quæ probat esse patrem;
Abiurari & ei titulus nomenq; Satoris
Diuini meritò, cum sciat ista, nequit:
Arguitur tacitè SIGFRIDVS, ea omnia nostro
Quod rerum primo surpuit artifici.
Aut quia non adeò leuioris vir notæ, vt isto
Se, licet exiguo crimine commaculet:
Quæ mage sunt vero amplectar confinia; Platem
Rerum in SIGFRIDI se illatebrâsse animo,
Qui dum se humanâ specie hac vult abdere tectum,
Artibus à proprijs proditur ecce suis.
O qualem te hominem SIGFRIDE! cui artuum in isto
Hospitio tantus gaudet adesse DEVS.

M. Joannes Dieterus.

IOANNES

267
JOANNES CRVHERVS

ἀναγραμματοζόμενος

AN ES VERVS CHIRON?

D Vm tripode enatum Phæbi, COGNOSCERE
SĒ IPSVM

Exprimis, arte secans corporis articulos,
Sigfridi præeunte manu, (qui cuncta secando
Quæ monstrat, scriptis & vigil ore docet.

Annos cui superi tot dent, quot, corpora cultro
Dum medico reserat, repperit articulos.)

Nec satis est secuisse, alijs hæc discutienda
Offers, sunt oculis quæ tibi visa prius.

Maneque dum montes, dum sero vespere prata,
Et sylvas medium Sole tenente polum,

Ac hortos peragras, blandè redolentibus herbis
Ridentes, Floræ muneribusque, Dea:

Qualem te esse putem CRVHERE oculissime amice,
CHIRON ES VERVS dic mihi age, ANne alius?

Urge opus incæptum, fama ut te præpete pennâ
Euehat ætherio Phillyridæ similem.

Michaël Neostephanus Rostochiensis.

ALIVD.

Aμπρ' ἀκριβῶς κατόχασι σοφῶν φρεσὶ μνήματα ἀνδρῶν
σαμίζοντες ὅταν (διὰ πολλῶν οἰσι μέμηλε
ἐν φρεσὶν ὄτραλέοισι πελασγίδ' ὄργια μέσης)
ἔχισαν ἀνθρώπων σύμπαντα κλήματα τριπλῆ.

ἅπτα τὰ δῶρα πέλον κειλώμασιν ἔνδοθ' ἀβύσσοις

ἠελίοιο τρέφει τῶν κάυματι γαῖα μέταλλον.

πῆς δέκεν ἀλρεκέως μακρῶ μακρότητα βίοιο

συντάττασι. τὰ συγκυρία καθ' ὅπερ δὲ παλαιοὶ

συμ-



συμβαίνον γινόντες, τοῖς ἔνομ' ἔδωκαν ἀποίνοισ
τῆσδε τυχῆς ἰε θεῶσ ὑπερ ἔρανόιο πθείρας.
δῦτερον ἄλλο γένε τὰ μέρη δ' ἡρώτος ἀριθμεί.
κῦδ' ὅθεν μορφῆς, τε χ' ὅθεν πέλει εἶδος δ' ἰσον,
τοῖς μερέεσσι μέρη ὅθεν ἤλυθε, κῶλ ἄτε κῶλοισ.
ἔχατον ἄλλὰ μέρ' ἄδωρήματα κῶλμι ὀρίζει
δὴ ἄρα τῶν φρενά, τόντε νόον, σοφίαν τ' ἀρετήν ἰε.
ταῦτα δ' ἀποινα πέλει θυμοῖο μέγισσι ἀποινα
ὄλβιον ὅτι νόον ῥέζει ποτὲ κῶλον ὀλύμπω.
αἰὲν εἶν θυμὸς δ' ὀλύμπω ἐνδοθι νάω,
περὸσλαβεν ὅτι, θεῶ τ' γνώσε' ἐμωλεος ἀρχῆσ:
σῶμα δὲ φθαρτὸν εἶν φυτῶ ἐκθανέοντ' ὁμοιον:
τέττω δ' ἀποθανόντ', ὁμῶ τὰ χρώματ' ὀλωλεν:
πάντα γὰρ εἰς ἀμυδρα κρέατ' ὄνθ' ὑπένερθε Σελήνης.
τῆσ δὲ δρετῆσ ἔργον καλαῖσ διδαχῆσι πέλασται,
ἔνομα, τ' κῦδ' ἄδωξασ συνεχέσ τε δέχεσται.
ἵ πλεόν? ἢ σοφία περὶ χῆ ἰα πράγματα πάντα
αἰθ' ὦν τῶν μὲρ ἔχων διὰ πάντα πλάσσι' ἐστὶ.

αὐτὸς ἐπὶ θυμῶ ΚΡΟΤΥΓΗΡΕ τὰ δῶρα Φίλησας
Νωλεμέωσ μὲρ ἔση σὺ κατ' ἀξίαν ἄξι' αἰσ:
θαρσαλέωσ μεσῶν ἀρετῆ γὰ φρεσὶ μέμηλε
ἐξ ἀπαλῶν ἐνύχων, καὶ νῦν φιλόμωσ ὑπάρχεισ
σύνδ' ἐβοηθεία Εἰρηνοῦρι Ἄμβουτ' ἀγαυῶ
τῶ Κορυφαίω, ὅπ' ἰλιγυρῶ θέματ' αὐτὸσ ἀπείρξεισ.
μηδὲν ροιμνύεται δ' ματιγ' ἔνεκα δῆγμα,
ἦ, ΚΡΟΤΥΓΗΡ', ἐξεδενέειν πᾶ θυμὸσ ὑπάρξει.
ᾧσε περὺ ὀμωσ, φῶσ ἰατρικοῖο χόροιο
γνώθ' ἰβροῖσι νοσῶν χεῖν φάρμαχ' ὑγῆνᾶ λιπηροῖσ.
ἐνθα μὴ αἰγ' ἐοῖ, δὲ ἄλλ' εὐχ' ἀκῆρασαν ἐξείσ,
εἰσ ἂν ὑδωρ τε ῥέοι καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλοισ.

Iohannes Claius Havelbergensis.

F I N I S.

AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560




Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.







260

20

tionum Anatomicarum

QVART A

PARTIBVS
NI CORPORIS
ILARIBVS, EARVM-
differentijs in genere

Ex sententiâ

*Philosophorum, Anatomicorum
& Medicorum:*

Ad quam
D. O. M. A.

Præside
SIGFRIDO PHILOS.
æ Doctore, & in illustri Acad.
A Professore, Anatomico &
Botanico,

Respondebit Publicè
die 16. April. hor. 6.
in auditorio maiori

CRVGERS GARDALEGIENSIS
Philos. & Med. stud.

HELMÆSTADII
ebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCVII.

